


CRUX SUMMA
Cellsimo PILAVITARUM Nomini,
PROSAPIÆ ac HONORI
Dolentissimo Amicorum Cordi,
Transverberatæ Pauperum Animæ,
Mæstissimo funere in sacrarium Collegii Leopoliensis Societatis JESU

ILLATA
ILLUSTRISSIMA

MARIANNA
De POTOCCIIS

TARŁOWA
PALATINA LUBLINENSIS
Janoviensis, Błonensis, Novicensis, &c.

CAPITANEA

Funebrî Elogiô à Collegiis Leopoliensi & Crasnostaviensi Societatis JESU.

CELEBRATA
Annô Domini 1749. Mense Julio.

Leopolî Tipîs S. R. M. Coll: Soc: JESU.

In avitum decus Domûs
ILLUSTRISSIMÆ



SOlicitus dum ſorte rogo, cur Stemmatis hujus
CRUX, Decus? & Magni Nominis eſſet honor?
Mox mihi reſponsū: CRUCIBUS quā Celſa ſub iſtis!
Subq; iſtis regnat quàm pretioſa Domus!
Tunc ego ſubjunxi: quis porro marmora quærat?
Hisq; PALATINÆ contegat oſſa ſuæ?
Novimus, iſte Cinis, quòd ſit pretioſior aurô,
Theſaurum Cineris CRUX tegat ergo ſui.

Ad ILLUSTRISSIMOS

SUCCESSORES.

IN *ferali hac tragœdia, quam dolentes circumspicitis Proceres ILLUSTRISSIMI, postquam nos in Vestrum damus conspe-*

 ctum,

ctum, quasi dolores vestros levaturi, ipsi profundîs singultibûs ita obruimur, ut exanimari propè videamur. Scilicet parentalis hæc scena, quam in facie mæstissimorum undiq; Procerum exhibemus, veluti repetitô ictu corda sauciat, & obductam nonnihil cicatricem dolenter renovat. Ut enim Illustrissimam MARIANNAM de POTOCCIIS TARLOWA, Lublinensem Palatinam, quam nuper ereptã nobis è numero viventium, mæstissimi deploravimus; nostrîs hodie humerîs, sub mortale hoc saxum deferimus, eheu! quæ se lacrymæ protrudunt ab oculis! vixq; dolentes animos non in illis faciunt naufragari! In hac igitur doloris tempestate, Tibiné Illustrissime Palatine intimæ Sororis Tuæ fatô afflictissime? Tibiné Incisor Regni, ex hac calamitate dolentissime?

Vobis-

Vobisné? Crasnostaviensis, Tlumacensis, Grabovecensis, Capitaneatuum Præfecti, post fata Amitæ Vestræ mæstissimi? Vobisné (ut non omittam pulchras clarissimæ Domûs faces, Illustrissimam Regni Referendariam, de POTOCCIIS RZEWUSKA, *Illustrissimam Szczerzecensem Capitaneam, de* POTOCCIIS POTOCKA, *ac Illustrissimam Camenensem Castellanam, de* POTOCCIIS KOSSAKOWSKA; *Sorores Vestras; pietatis Amitæ suæ æmulas, Sanctimoniæ hæredes; liberalitate, bonitate, & quibûsvis dotibûs aliîs ornatissimas) Vobisné, inquam, loquemur solatia? qui non aliter perorare valemus, nisi lacrymîs. Absolvi ab hoc onere postulat, corrupta planctibûs facundia, & svada singultibûs vitiata, veniam*

petit, quòd ſe tantiſper componat ad ſilentia. Cæterùm tacente illâ, habemus media, quibûs & veſtrum dolorem temperemus, & noſtra componamus ſuſpiria. Veſtras quidem primâ fronte deterget lacrymas, breviſſima hæc funebris laudatio, quam Illuſtriſſimo Nomini Veſtro dedicamus. Supplebit illa ſpongiam, & lacrymas guttatim deciduas recipiet, quæ ita Illuſtriſſimæ PALATINÆ, Sororis Tibi intimæ Illuſtriſsime PALATINE; Tibi INCISOR Regni, & Vobis Illuſtriſsimi CAPITANEI dulciſsımæ Amitæ, triſtem deplorat occaſum, ut in Illa ideam ſanctitatis poſteritati exporrigat. Quod enim ingenioſius inventum eſſe poterat, ad levandos dolores veſtros? quàm, ſi de Palatina, ea ſcripſimus, quæ à nemine citra ſolatia legi poterunt. Habes

hìc

hic Domus Illuſtriſſima faſtos Tuos, qui in una Pientiſſima MARIANNA deferent ad ſera ſæcula Nomen Tuum, illudqué perennaturô loquentur ævô. Diſcet hinc poſteritas, non ſolùm Celſiſsimô, Illuſtriſsîmô, Prænobili [quanquàm hæc ex lætioribus faſtis copioſiùs legenda voluimus] ſed pientiſsimô quoq; nomine inſigniri POTOCCIOS. *Intelliget ævum remotius, habere Vos Veſtri Nominis Perſonas, non ſolùm cunarum excellentiâ eximias; prudentiâ inſignes, beneficentiâ liberales; non ſolùm Duces magnanimos, infractos Hectores, qui hoſtes frangant; ſed habere quoquê Perſonas, quæ devotîs ſuſpiriîs expugnent Aſtra. Legent iſta Nepotes, recolentq; præcelſam Palatinæ Sanctimoniam; & alii quidem redundabunt ſolatiîs, quòd tantum nacti*

fuerint famæ ſuæ columen; alii præcelſa virtutum exempla æmulari non deſinent. Evolves Tu ipſe Illuſtriſſime Palatine, aut audies ſaltem (quoniam Te fractæ pro Patria vires, ab hoc onere abripiunt) Evolvetis Illuſtriſsimi Nepotes, & diffluetis in ſolatia, tot virtutum decora percurrendo. Et hæc quidem ſunt, quæ Te dolentiſsime Palatine; quæ Vos afflictiſſimi Nepotes, in triſti hoc mortis theatro ſolari poterunt; quoniam nullus amplior ſolatiorum fomes eſt, quàm ſi ea in publicum proferantur, quæ de noſtro ſanguine, optimè poſteritatem audire faciunt. Sed & nos, quod in hac lugubri ſoletur ſcena, non deeſt: Tu ſcilicet Illuſtriſsime Palatine. Tu ſuperſtes Pater, Protector, & Benefactor noſter faventiſsimus, afflictos ex obitu beneficentiſsimæ Palati-

næ

næ recreas animos. Vos quoq; Nepotes Illuſtriſsimi (vt repetam etiam Illuſtriſsimas Sorores veſtras) afflicta ſingultibûs corda reficitis, & violenter protrudentibus ſe ſe lacrymis, modum ponitis. In Vobis nempe omnibus veluti in terſiſsima cryſtallo, præſentamus nobis Parcarum injuriâ ereptam Palatinam; & quoties hujus obitum deploramus, poſtquam vultus Veſtros circumſpicimus, qui in nos, in noſtras Domos, in ſacras Ædes liberaliſsimè gratias profudiſtis, mæſtos illico planctus detergimus, & veluti florum deliciæ ad conſpectum ſolis, vultus induimus lætiores. Cùm igitur in hac triſtiſsima calamitate, vos ſolatia in nobis accenditis magni Proceres; pro augmento ſolatiorum, vincite annîs ſæcula; Addant Vobis Superi longos dies, quos fata Pala-

tinæ detraxerunt. Distinguite lustra fortunæ gratiîs, & lustrîs gratias; ac demũ veniant vobis ad mentem omnia. Ita precantur, & funebrem orationem istam honori Vestro dicatam, benignè suscipi postulant

ILLUSTRISIMO NOMINI
VESTRO

Obligata Collegia, Leopoliense
& Crasnostaviense, Soc: JESU.

NON ita tenaces lacrymarum ſumus, ut cùm in lugubri hoc mortis theatro, alios dolenter mutari; Parcarum injuriam accuſare alios; hos plorare, ſingultire illos; multos plangere, gemere plures; ſanguinem Colligatum deciduas ab oculis guttas protrudere; affinia Nomina mærore concuti; lectiſſimorum coronam Procerum vultus ad ſunera compoſitos præſeferre; egenorū

planctus penetrare sidera; mortibûs impleri aras; pullîs obduci altaria; sacros ordines dolenter psallere; & demùm funestam hanc catastrophen, omnia mæstissimè circumstare videamus; nos ipsi in societatem lacrymarum venire recusemus. Scilicet fomes doloris est singultiens è vicino pectus, & lacryma unius, inevitabilis alterius dolor est. Sed fuerit cuipiam [non inficior] ita pectus saxeum, ut in planctus non diffluat, plorante aliorum exemplo; quasi exiguum doloris motivum esset, communi multorum suspirio singultibûs rèspondere, & quodammodò Præficarum instar lacrymîs dolentibûs decertare. Non deest aliud, quod ita fortî robore singultiens pectus comprimit, ut

ab

ab oculis undas flebiles, ab animis ſuſpiria, dolorem à corde facilè extorqueat. Ut enim ferale iſtud theatrum mortis ſuſpicimus, &, vel primâ meditatione perpendimus, quàm pretioſas deferat exuvias; eheu! quantô ſe tumultu porrigunt ſuſpiria! Nempe, deceſſit Palatina, o! damnum ſæculîs deflendum! Ergo, plorate magni Proceres, viri purpurîs Illuſtres ingemiſcite; ſuſpirate præcelſa Nomina, & tàm grandem injuriam, lacrymîs ulciſcimini. Deceſſit flos ſanguinis Nobiliſſimi! o! Parcarum avaritiam! Ergo, lachrymas profundite, quoſcunquè eximia ſors naſcendi, aut iiſdem produxit cunîs, aut vicinô ubere ad magnorum decora Nominum, & commendationem præcelſæ

Domûs, enutrivit. Deceſſit Ecclesiarũ Dei, dulcis Parens! o! injuriam nunquàm ſatìs deplorandã! Ergo, induite pullam ſacri Flamines; nitores veſtros, umbrîs tantisper obducite altaria; lugubre ſiparium inumbret aras; & quæ nuper, Palatinæ liberalitate illuſtres, ad decorem fulgebant Baſilicæ, iſtis parentaturæ exuviis, funeream præſentent faciem. Deceſſit Sacrorum Ordinum benigna Mater! o! feralem ſcenam! Ergo date ſingultus Religioſæ Familiæ; gratâ comploratione proſequimini Matrem; & devotîs ſuſpiriîs, illîſq; repetitîs ſæpius implete aras. Deceſſit miſerorum Protectrix! o! calamitatem deplorandam! Ergo plangite egenorũ caſtra; ſingultientibus animîs querelas

relas deponite; ſuſpiriîs diſtinguite lamenta; injurioſam vobis damnate mortem; Matrem obiiſſe dolete, ſuſpirate, ingemiſcite. Deceſſit pupillorum Altrix! o! vulnus inſanabile! Ergo quicunquè miſerandam defletis orbitatem, ferali huic theatro plorantes adeſte, & ſi vobis doloris vehementia lacrymas non ſatis ſuppeditat, renovate lamenta Niobes, ac in ſaxa dolentes obrigeſcite. Deceſſit virtutum norma! o! extremum malorum omnium! Indulgete hic dolori liberaliùs, quicunquè à devoto aliorum vultu, & moribus integerrimis laborioſiùs pietatem ſugitis, quàm apis mellea à roſis vernantibus dulcē favum. Deplorate calamitatem, quibus ſpeculum hoc virtutum intueri placuit,

& ad ſanctioris vitæ ſpecimina animari! Deceſſit illa! o! breve, ſed tragicum vocabulum! cui ad decora præcelſæ Domûs, ad amores Colligati ſanguinis, ad exemplar populi, ad miſerorum ſolatia, ad utilitatem ſingulorum, omniũ commoda, ſæcula terenda fuerãt. Deceſſit tandem MARIANNA! O! injuriam nullîs compenſandã luſtrîs! Deſiiſſet utinam priùs ſævire Lacheſis! antequàm audere potuit tàm grande facinus. Illa prior cecidiſſet utinam! antequã tot virtutum vivam imaginem, umbrîs mortalibûs, & triſtî obduxit ſipariô. Aut, (ſi malè caſus precamur Lacheſi) crudele utinam ſuſpendiſſet ferrum! nec, è viventium numero deleret illam, cui de noſtris facilè dediſſemus

annis,

annis, ſi Superi indulſiſſent. Sed quouſq; lacrymæ? componendi tandem ſingultus (quamvìs difficilè abſtinetur à lacrymis, ubi magnorum ruinæ deplorantur) accenſa dolentiùs, extinguenda ſuſpiria, & triſtes obtutus è profundo lacrymarum naufragio eripiendi tandem. Scilicet malè ploramus illos, de quibus nihil Nepotibus, nihil Natis, nihil poſteritati proponi poteſt, quod non ſit ad excellentiam famæ, ad Nominis co̅mendationem, ad exemplũ, decus, & gloriam. Hæc nempe ſumma ſolatiorum eſt, ſi, quos ab oculis dolenter ſuſtulit injurioſa mortalitas, illos, integritas vitæ, virtutes, & merita, præſentant poſteritati gloriosè, atq; dolendam de triſti obitu memoriam, recre-

ant factorum excellentiâ. Quarè in hac etiam lugubri, ut videmus, ſcenâ; quā nobis feralis hæc præſētat cataſtrophe, iſtud, dolētes abſterget lacrymas atq; eò ipſo ſolatia accēdet in animis, ſi piētiſſimæ Palatinæ è viventium numero ereptæ, moribûs integerrimîs ac virtutibûs, paſcemus memoriam.

Aſsumū-tur expli-cādæ vir-tutes Il-luſtriſſi-mæ Pala-tinæ.

Si præter virtutum decora, quæ in lugubri hac laudatione memorāda veniūt, nominis quoq; excellentiā, & ſanguinē Colligatum, per Celſiſſimas, Illuſtriſſimas, ac Prænobiles venas diffusū, explicare: ſi curules, ſcipiones, Ducum clavas producere, ſi ſacras, profanaſq; purpuras, & multa alia utriuſqué Senatûs decora, recenſere: ſi POTOCCIOS munificos in Eccleſias, in aras liberales, in Deum bene-

neſi-

neficos, largos in hominum indigentias; ſi in Senatu Conſos, Lycurgos in curiis, in pace Titos, in bello Hectores; ſi Tutores libertatis, hoſtium Patriæ, hoſtes, Rei-publicæ Defenſores, &, ut verbô complectar omnia, ſi POTOCCIOS (o! Nominis excellentiam!) numerare vellem; aut in immenſum propè abiret ſtylus, aut illa arctari deberent compendiô, quæ ad decus Illuſtriſſimæ Domûs, ad exemplar poſteritati, ad admirationem multis, plurimis ád dulcem memoriam de pientiſſima MARIANNA ſcribenda veniunt. Quarè dabis veniam ampliſsime Sanguis, quòd lugubri hac in oratione, omittam ex ordine numerare magnæ Domûs Tuæ Nomina. Scilicet evolvunt

C hæc,

hæc, lætiores fasti, annotant festiva volumina; ita profusîs sensibûs annales scribunt, ut illa ii duntaxat nesciant, qui aut fastos ne à primo quidem cortice evolvêre, aut qui Principes ignorant Familias. Dabis inquam veniam, in Religionem amore, liberalitate in Dei Basilicas, beneficientîs in sacros ordines, comendata; pietate, & virtutibûs illustris; titulîs, & honoribûs ornatissima; meritîs in Patriam præclara Domus; quòd missîs tuo Sanguini colligatîs Nominibûs, ad evolvenda pientissimæ Palatinæ virtutum specimina festinus anhelo. Quippe, otiosus labor est, lumen solis declarare; aut ea, quæ medius illustrat dies, admotis facibûs, rursus & iterum illustrare. Porro injuriosam Tibi

ne

ne credideris parciorem hoc in punƈto facundiā magne Sanguis. Induſtria hæc, non injuria eſt, abſtinere ab iis, quæ plenô aliunde bibi poſſunt fonte, ut illa recitentur liberaliùs, quæ, ùt poſteritati grata eſſe poſſunt, ſic magnis Nominibus glorioſa; & tamen (ſi nō malè ignorari hæc dicimus, quæ publica declamat ſanƈtimonia) à pluribus ignorantur.

Ergo imus jam ad cunas, & florentes annos (quoniam hos etiā plenos virtute maturiſſimâ eſſe didicimus) pientiſſimæ Palatinæ. CHRISTINA Matre ad vitam illa prodiit. Matre! ſi genus ſpeƈtemus? de LUBOMIRIIS POTOCKA GEORGII LUBOMIRSKI, ſupremi Mareſchalli, ac Campi-Ducis Exercituum Regni, Filiâ.

Ortus Illuſtriſſimæ Palatinæ

Celſiſſimi Cracovienſis Caſtellani, & ſupremi exercituum Ducis Felicis POTOCKI, viri in conſiliis prudentiſſimi, in componendis negotiis dexterrimi; in bellicis expeditionibus ad Cudnovũ, Chotimum, Viẽnam, & ubi ubi, feliciſſimi; intèr arma non arrogantis, in pace modeſti; Viri, Reipubl: Tutoris, Protectoris Patriæ; & demũ, Viri omnium dotum compendiô ornatiſſimi, Conſorte. Si virtutes? nata eſt Matre! integritate cordis, Angelâ, moribûs, Pudicâ; induſtrioſa patientiâ, Euphemiâ; virtutum compendiô, viva imagine. Nata eſt Matre! Eccleſiarum Fundatrice gratiosâ, in Flamines liberali, in egenos beneficâ, benignâ in omnes. Nata eſt Matre! in alios mitî, in ſe rigidâ, aſperâ, dicam

etiam

etiam, ſanctè crudeli. Nata eſt Matre! cujus inſignia virtutum decora plenîs voluminibûs loquntur faſti, & æqué devotæ, ac curioſæ poſteritati, porrigūt evolvenda. Tantâ Matre, non impar Filia, ad vitam prodiit. Quàm rarum hoc! atqué eo ipso ſæculis porrigendum! Sæpius nempe à pientiſſimis etiam cunis venire ſolet perverſa proles; & quam vice lactis candore pavit materna pietas, ſæpius denigrant corrupti mores; atqué intaminatæ progenitorum virtuti (dolendum dictu!) turpem appingunt notam. Alia fuit cunarum felicitas pientiſſimæ Palatinæ. Non illa à Celſiſſimo Progenitore ſuo, non à Parente integerrima, degenerem tulit animum. Vicinus ſuo ſtipiti hic fru-

ctus cecidit, illeq; non alius, nisi qualẽ arbor optima solet producere. A magnis Parentibus prodiit Filia magnæ spei; cujus indicia etiam ex annis tenerioribus facilè legi potuerunt.

In ætate tenera, Maternis virtutibus correspondere studuit.

Jam, ùt primùm infantiam exuit, mirum erat! quantâ facilitate, virtutis eximiæ indoles capacissima, ad integritatem pientisśimæ Matris ita mores composuit, ut, quid quid sanctum perfectumq; viderat, facilè ad cor admiserit, & ad animum. Cerea alibi juventus est, in vitia flecti facilis, nullarumq; capacior imaginũ, quàm quæ perversîs moribûs imprimuntur. Non ista in corde purîssimo expressit stemmata Juventus MARIANNÆ. Nihil illa perversum impreśsit animo; nihil

hil non ad mores integerrimos pientiſsimæ Matris, compoſuit. Legebat à vultu Genitricis, roſas pudoris virginei, illaſq; ita ad cor admiſit, ut facilè ad effectum deduxerit. Audiebat ab ore Matris, aut illos prodire ſenſus, quos ipſa duntaxat loqueretur innocentia, aut qui mentem & animum facilè traherent ad cæleſtia; & illos, in corde virgineo notare videbatur, ut tandem integerrimô Parentis ſuæ exemplô, ubi in publico agē-dum eſſet, devotè promeret. Videbat geminum illud oculorum lumen, aut nube modeſtiæ ſvaviter obduci, aut, præ devotis ſæpius rubere lacrymis; & illi modeſta imago hæc, arriſit ita, ut nunquā pupillam erexerit, niſi, cùm devotîs aſpectibûs aut ad cælos attol-

lendus esset oculus; aut Deus Eucharisticâ nube obductus, tenerrimô conspiciendus obtutu; aut, si quæ alia videnda, svasit puritas, & virtus innocentiæ. Observabat Parentem pientissimam media inter Celsissimæ aulæ commoda (quod aliis inter amplas opes fluitantibus amori intimo esse solet) ab otio abhorrere, nullumqué pretiosi temporis punctum, segniter dispensare: Observabat eximiã Genitricem aut devotâ cõtemplatione mentem pascere; aut distractione piissimâ Ecclesiarum decori servitura, manum principem occupare, in idqué seriò incumbere, ne quæ pars diei à prima statim aurora Cælitibus immolatæ, in cassum difflueret. Observabat hæc Palatina; & ipsa, non

ver-

verbîs aut fronte aſperâ (quod com̃une Juventuti eſſe ſolet) ſed ipso duntaxat optimæ Parentis inducta exemplô; modò evolvendis codicibus, quales ſibi porrexit pietas; modò placandis devotâ oratione Cælitibus; modò ſe, cui cui diſtractioni, quam aut honeſtas aulæ principis, aut offerebat devotæ Parentis inſignis prudentia, accingebat. Videbat demũ ſtudioſa virtutis MARIANNA, compendium quoddam ſanctimoniæ in Matre pientiſſima, & huic, veluti apis flori melleo, ita fortiter ádhæſit, ut omnem ſanctimoniam facilè exhauſerit. Nolebat ſcilicet educari ita, quaſi terris non Cælo nata eſſet, ex eo, quia felicibûs producta cunîs: nequé ſe feliciter enutriri credidit, ſi libe-

rius, &quandoq; ultrà leges modestiæ resolutè agere didicerit; si animos ad fastum erectos, prætulerit; si in oculis libertatem, in ore licentiam, audaciam in agendo ostenderit; si crinibus in orbes sinuandis, comendo vultui, cerussandis genis, mundo muliebri rursus ac iterum componendo, si somnis & otio, dies integros impenderit. Nec ex eo vendicabat sibi beatitudinis cujusdã partem, si dulci (ut aliàs creditur) adulatione, Parentum amores venari; si manum osculîs lambere, si in gyrum se se flectere, si ad nutus, quãdoq; non bene sanos, præstò esse didicerit. Aliam sibi vitæ regulã proposuit Palatina, speculum nẽpe pietatis Parentem Celsissimam. Non equidem inficior ad humanita-

nita-

nitatis etiam leges, quas cunarum excellentia prætendebat, teneriores MARIANNÆ annos, optimè fuiſſe compoſitos; non aliter tamen, niſi, ut primâ fronte pingeret ſe virtus, & quid quid commendat ſanctimoniam. Hinc fuit, quòd ita mores integerrimos civilitati conjunxerat, ut, quiſquis vultus illius graviter modeſtos conſpexit, intelligere facilè potuerit, profundæ pietatis indicia & mores integerrimos. Et verò, veniebat à genis candor; ſed ille, qui cordis nivei teſtis eſſet. Senſus ab ore veniebant; ſed ii, qui pulchræ virtutis ferrent teſtimonia. Et demum quid quid agere, vel loqui audita fuerat Palatina, palā fuit, pientiſſi norū Parentum eſſe Filiam. Ita enim in ſe, ſuoq; pe-

 ctore

ctore perfectissimo expressit mores, ut optimè viva Genitricis imago dici potuerit.

Post obitum celsissimæ Parentis, conformitas cū Dei volūtate Jllustrissimæ Palatinæ.

Sed tandem: dolendum dictu! tam eximium virtutis exemplar eripuit Lachesis Palatinæ. Sustulit Matrem (o! mortis inclementiam!) cui sæculîs vivendum erat. Ergo doluit orbitatem suam! ita tamen, ut Divinis daret oscula decretis, & vitæ necisq; Dominū, amaret intimiùs. Quoniam verò, raro lacrymæ sine comite solatio esse solent: in illa quoq; tristi nonnihil orbitate, providit cælum Pupillæ solatia, providit inquam Celsissimam ROSALIAM de LOSIIS POTOCKA, Castellanam Cracoviensem; Castellanam dico, prudētiâ insignem, moribûs incorruptā, virtutibûs & omni pietatis decore

orna-

ornatiſſimam. Suſcepit hæc tutelam, tantôq; exarſit amore MARIANNÆ, ut facilè orbata proles fateri potuerit, non amiſiſſe ſe Matrem, ſed mutâſſe. Ergo tantîs amoribûs, & profundâ demiſſione, ſuam (ut dicebat) proſecuta Parentem; ut nihil de reverentia, nihil de cultu, nihil de amoribus ſuſtulerit, quos nuper ſuperſtiti exhibuerat Genitrici. Quarè educabatur, ut cæpit, pientiſsimè. Creſcebat non annîs duntaxat, ſed pietate. Augebatur probitate ſimul, ſimul viribûs: ſicqué illi juventus fuit integerrima, ut quis quis, graves Illius mores curioſiùs conſpexerat, facilè didicerit, ad quàm ſublimem perfectionis apicem fuerat perventura. Nec vano omine: nullus enim

Reverētia & amor Celſiſſimæ Caſtellanæ in Palatina.

vitæ illius gradus, ſive hic honoris, ſive Fortunæ, ſive (ad ſpeciem) ſæculi videbatur, qui non ſublimi virtute eminuerit.

Facilè alios, modò Fortunæ benignitas, modò feſtivi plauſus, modò amica fædera, à recto virtutis tramite abſtrahunt, quaſi iſta, fatales eſſent ſcopuli, & quædam vorago pietatis. At pientiſſimæ Palatinæ, iſti etiam [ùt non malè eo nomine dici poſſunt] vortices, non jactura pietatis, quin potiùs calcar dici poterant ad virtutis eminentiam. Ut enim Illuſtriſſimo Caſtrorum Regni Metatori STANISLAO, CAROLO JABŁONOVIO connubialî ſe fædere obligavit, eheu! quæ huic epithalamio acceſſere vota! qui plauſus! quæ ſolennia! Exornabant fædus præ-

Fædꝰ cōnubiale cum Illuſtriſſimo Jablonovio quàm Illuſtre.

nobi-

nobile, authoritate ſua Viri Principes. Flos primus Procerum augebat decora; & inter hos Sereniſſimi, JACOBUS, & CONSTANS Principes Regii: Sereniſsimus AUGUSTUS II. Rex Poloniarum invictus, aderat per Legatos; imò non aderat duntaxat, ſed munera quoq; ad menſuram Majeſtatis, & Sponſæ excellentiam, gratiosè detulerat. Fidem hominum! quibûs hìc plauſibûs fluxerunt omnia, ita, ut undiq; turmatim augeretur feſtivitas. Authoritate graves, plauſus renovabāt viri, & nihil fuerat, quod ad majeſtatem deeſſet pompæ huic. Quid verò inter iſta plaudētium animorum vota (quoniam multos inſoleſcere facit Fortunæ ſerenitas) pientiſsima Neoſponſa:

Inter Plauſus connubiales, virtutis amātiſſima Illuſtriſſima Palatina.

 certè

certè inflari fastu? licentiæ laxare fræna? mores, maternâ pietate compositos, petulanter solvere? &, ut brevibûs complectar multa, sæculo jurare fædera? nihil horum! Non corrupit integerrimos Illius mores ista plaudentiũ Procerum corona; non dissolvit cum Cælo fædera amicum fædus; nec ita amores sociavit, ut cor, à Divinis amoribus retraxerit. Videri hic poterat integerrimus erga Sponsum amor: æstimari potuit profunda reverentia, & quidquid fædera ejusmodi commendare solet, facilè poterat inveniri. Hilares equidem ad oculum ferebat vultus, & quasi sæculo viveret, lætiores præsentabat genas: at hæc ipsa oculorum, genarumq; serenitas, testis erat con-

scien-

ſcientiæ integerrimæ; nihilqué, media etiam inter hilaria, obſervari potuit, quod non eſſet ad regulam pietatis. Noverat ſcilicet, amicum fædus Divinis conjungere amoribus, & ſolatia, quæ ſtatus hic deferebat, condire virtutibûs.

Quoniam verò brevia ſunt nō rarò humana ſolatia, & proſperitas quantumvìs dulciſſima, ſæpius habet ſequaces lacrymas: quare illos etiam feſtivos nuper plauſus, fæderatam felicitatem, ſecuta tandem dolentiſſima calamitas. Scilicet, Virum illi eripuit [o! injuriæ magnitudinem!] inopinata Lacheſis: Virum, inquam, eripuit! & cum Viro cordis dimidium! Quid jam Illa ad tam feralem ſcenam? Eliciebat, amor Sponſi, lacrymas; temperabat illas, Divi-

G nus

Meditatione Divinæ voluntatis temperabat dolores Jlluſtriſſima Palatina amiſſo Virô.

nus amor. Excitabat suspiria, è viventium numero ereptus dolenter Sponsus; componebat illa, dulcis decretorum Dei recordatio. Acuebatur dolor, mortalî (quod JABŁONOVII tegebat exuvias) marmore; augebatur Divinus amor, fluxæ felicitatis memoria. Et inter hanc amoris dolorisq; luctam, ita se fortem exhibuit, ut virilî planè animô dolendum illud cordis vulnus de manu Domini susceperit; Divinîsq; amoribûs recreata, lacrymas temperaverit, & suspiria. Et jam, soluta connubialî vinculô, intimiùs se virtuti obligavit, in idq; unicè, industrias impendit omnes, ut se cælo obligaret Divini amoris vinculô. Et verò nil tunc ab Illius vultu notari porerat, nisi pudor; ab

ore

ore profluere nihil, præter devota suspiria, nihil à corde prodire, præter amores Superûm integerrimos. Sed integritas hæc morũ, & formæ conjuncta pudicitia, illicium fuit magnete fortius, ut se repetitô iterum amicitiæ vinculô obligaret. Scilicet, nullus fortior amoris fomes est, quàm virtus, pietas, & mores illibati.

Ergo amica rursum suscepit fœdera: & quoniam virtus virtute commendatur, illi se in Sponsã dedit, qui pietati MARIANNÆ, eximiîs responderet gestîs & virtutibûs. Dedit se, inquam, Illustrissimo ADAMO TARLO Palatino Lublinensi, magni illius CAROLI TARLO Cancellarii Regni, magno Filio. Viro, stemmatum excellentiâ nobilissimo, in consili- Repetitũ amicitiæ fæd9.

is ſvaviter profundo, in legationibus æqué felici, ac prudenti; in judiciis juſto; in Senatu graviter maturo, in acie, felici & dexterrimo; ubiq; fortunato; & demum Patriæ Patri ADAMO. Hunc jam tot dotum meritorumq; Sponſum, ùt primùm nacta fuerat; eâ demiſſione ac reverentiâ coluit, quæ non Sponſis duntaxat, ſed Parentibus convenit. Tam inſigni verò reverentiæ adjunxit amores integerrimos, illoſq; nè fucati crederentur (ut omittã plura) inſignî probavit teſtimoniô. Ut enim armis, & virtute bellicâ timendus, novus Patriæ Hector ADAMUS, in Regni hoſtem ſe expediit: videri poterant diſpoſita tentoria, ordinata caſtra, expeditus in vulnera miles, & omnia ad regulam militarem

Amorẽ Sponſi inſignî teſtimoniô comprobavit

pul-

pulchrè compoſita. Cûm interea ſilerent arma, nec ab hoſtė ſperaretur periculum, adfuit è vicino aliud; & eò periculoſius, quò ſperatum minùs. Scilicet atræ nubes ex improviſo condenſari, fulgurare Cælum, tonare, fulminare. Et factũ, ut inter illas ſtrepentis cæli tempeſtates, & timendos nubium concurſus, ereptum cælitus fulmen, in tentorium Palatini calamitosè decideret; & alios quidem, ex illo, quà Heroum, quà epheborum tumultu, feralî exanimaret ictu, alios terræ allideret, alios infelicî caſu extra ſe raperet, omnes metu percelleret. Jamqué parum abfuit, ut ictus fulminis feralis fuiſſet Palatino, & quē hoſtilis furor non poterat extinguere, extinxiſſet fulmen. Ergo

in illa minùs expectata calamitate, unicum habuêre solatium, belli, bellorumq; Duces, quòd ex faucibus mortis eripuerit Palatinum, Numen propitium. Quare, hinc quidem deplorabatur infelix multorum clades; at inde ferebantur Cælitibus gratiæ, quòd sibi superstitem servaverint Palatinū. Non ita tamen tacitus fuit ictus fulminis, ut ad aures Palatinæ non devenerit, & (quod magìs ferit!) dilectæ cor Conjugis, non graviter sauciârit. Quippe audiit illa pericula, quæ imminebant Palatino, & quantùm ad hæc exanimis propè, exhorruit, tantùm se gratam exhibuit Cælitibus, quòd illum, quem intimô fovebat in pectore, non sibi fata eripuerint. O! igitur devota ad Cælos mit-

tebat

tebat ſuſpiria! dilecto propitios viro, de genu colebat Superos, utqué ſe gratiorem, tanto exhiberet beneficio, perennî ſe votô obligavit, inediâ corpus macerandum, lunæ diebûs continuîs. Et conſtans fuit piiſſima hæc obligatio, quam non aliter dirupit, niſi cum vitæ filo. Tantô! tantô ſuum proſecuta amore Palatinum pientiſſima Palatina!

Cæterùm ut inviſæ eſſe ſolent mortalium felicitati Parcæ, ſic dulces etiã nexus iſtos dolenter præcidêre. Scilicet, deletus è viventium catalogo Palatinus! ſublatus Vir conſiliorum Senatui! ereptus injuriosè, Pater Patriæ! bellis Hector, publicæ calamitati forte brachium, negotiis Reipublicæ grãde fulcrum, MARIANNÆ amor

intimus, deceſſit! O! lacrymîs orbitatē non ſatis eluendā! Nempe cruentabat Palatinæ pectus mortale ferrum; ſed augebat cicatricem amoris telum; nec facilè colligi poterat, utrum dolentius. Quis verò animus in tanto doloris naufragio ſuperſtiti MARIANNÆ? Deflebat equidē (quoniam hæc regula amantium eſt:) orbitatem ſuam! dolebat ſe amiſiſſe illū, cujus vel ipſe conſpectus dulcis fuerat! redimebat injuriam lacrymîs! ſingultiebat! ſuſpirabat! Iſte tamen acerbus licèt dolor, nunquam devoti cordis exceſſit leges; habuitq; mæſtiſſima Palatina, quô ſe, in illa doloris vehementia ſolaretur. Vidit ſcilicet brevia hæc, utut ad ſpeciem mellea ſolatia; vidit, altero jam pro-

Inſtabilis felicitas acuit Divinum amorem in Illma Palatina.

bata

bata teſtimoniô; nunquam æterna, ſtrictiſſimîs licèt obligata vinculîs, amica fædera: & poſtquam juſta, ſuo perſolvit Palatino, atq; ad menſuram, æqué amoris intimi, ac liberalitatis magnificæ, lugubrem inſtruxit pompam, ac ad commune mortalitati ærarium, emortuas Palatini detulit exuvias: eheu! quibûs in Cæleſtem Sponſum exarſit amoribûs! ita, ut ſe illi totam dederet, offerret, immolaret. Quippe nihil jam videri poterat in Palatina, quod Palatinæ, non DEI eſſet. Cor ſcilicet, profundiùs occupavit Divinus amor; pudor caſtiſſimus accepit genas; pupillas poſſedit modeſtia; carnis afflictio, abſtinentia, & demum inſignis ſanctimonia ex integro occupavit

MARIANNAM. Nec iſta pro auxeſi dicimus: quiſquis enim illam vidiſſe potuit; vidit virtutum vivam imaginem, & quoddam compendium ſanctimoniæ. Hinc erat, quòd ſe ita fama ſanctitatis ejus diffuderat, ut ad Regni Majeſtates facilè pervenerit, quibus, non injuſtum eſſe videbatur, publica Reipublicæ negotia, devotis illius ſuſpiriis commendare. Quiſquis verò ſive Magnatum Regni, ſive Procerum M. D. Lithvaniæ, ſive Legatorũ ab exteris, Ruſſiæ Metropolim (cujus grande decus fuerat Palatina) inviſerat; nemo tam ſegnis fuit, quem fama ſanctitatis, ad videndam illam, æſtimandam, & adorandam non induxerit. Jam, quicunq; ita curioſus fuit; facilè,

San-

Sanctam Palatinam (quo comũniùs nomine dicebatur) confirmavit. Nec vano nomine. An enim non talem confitetur in Deum amor? pietas in Cælites? in ſacros Flamines reverentia? benignitas in miſeros? in ſuos bonitas? in ſingulos humanitas? liberalitas in omnes? in ſe unam ſeveritas?

Speciali-ùs virtutes Illmæ Palatinæ numerãtur.

Et ut ſingula percurram. Per Superos! quàm vehemens Divinus amor devotum cor MARIANNÆ incendebat! cum illi nihil unquam dulcius eſſe potuerit, quàm piiſſima cum Deo collocutio. Primam alii auroram contemplationis devotæ capaciſſimã, inter molles culcitras edormiunt, & quandoq; ad lucem mediam producunt ſomni commoda, vixqué ibi loqui cum Deo incipiunt,

Amor erga Deum

ubi negotiorũ turba importunè susurrat, & devota abrumpit colloquia. Alii, postquam primam lucem negotiis, & quandoq; petulanter quæsitis, impenderint, tandem, quod obscurum diei est, piè (ut credunt) immolant Cælitibus. At pientissima Palatina prævertebat aurorã, & diei primitias impendebat cælo. Nunquam scilicet illam, aliter invenit oriens, nisi devota contemplatione occupatam. Prima statim luce, imò sæpius ante istam, ad aras se conferebat, ut inibi sub specierum sipario latentem Dominũ profunda veneratione coleret; &, ne quod diei punctum in cassum abiret, devotè immolaret. Tanto verò animi cum solatio, operantibus ad aras in dies adfuit, ut de-

nis

nis minimùm, sæpius ultrà, incruentis adesset victimis: nec aliter ab illa contemplatione pientissima (si exiguam admittamus pausam, reficiendæ virium debilitati, concedi solitam) avelli potuit, nisi luce, sæpe seriùs quàm mediâ. Illud autem non raró fuit, ut diem pænè totum, sive se languor corporis avocaret, sive asperior aura delicatum corpus affligeret, demoraretur inter aras; ita, ut probè in dubium venire potuerit, an Ecclesias Dei, non in suum conclave mutaverit Palatina.

Jam, ùt Eucharistico Deo singulariter devota fuit, sic pati haud poterat, quin ad cor non sæpius Dominum invitaret, imò devotè reciperet. Quis verò explicet! quibus protunc ardebat cor (Amor erga Xtum Eucharisticum.)

 igni-

ignibûs MARIANNÆ! poſtquā eum, quem intimè dilexerat, intra ſua demorari ſciebat viſcera. Profundiore tunc colebat adoratione Dominum; intimiore affectu amabat Deum; contemplationi vacabat longiori; & ut ſpecialiorem ſervatori ſuo exhiberet gratitudinem, pro tanto hoſpitalitatis beneficio, ſtrictiore ſub cuſtodia linguam tenuit, utq; parciùs loqueretur, obſervabat diligēter. O! devotionis ſpecimen ſingulare!

Amor erga B.ſſimā Virginē MARIAM.

Ita verò devotîs in Deum flagrabat ignibûs, ut îs non minùs arderet erga Matrem Puriſſimam. Iſtam intimis proſecuta præcordîs; Parentem dulciſſimam compellabat, amabat Matrē. Fidem hominum! quæ fiducia MARI-

ANNÆ

ANNÆ in MARIA! Sive enim calamitatum tempeſtas inſurgeret, ſive negotiorum turba premeret, ſive adversitas affligeret, ſive morbus acerbior vires attereret, nullũ efficacius pharmacum habuit, quàm protectricem Virginis intaminatæ dextram. Hæc illi inter afflictionũ procellas, tutiſſima fuit ſpei anchora; hæc beatum in adverſis promontorium; hæc in calamitate felix tabula. Et efficax fuit hæc fiducia. Contigit enim ſæpius, ut gravi corporis afflicta dolore, cum debile ſciret eſſe auxilium à mortalibus, poſtquam ſe Dolentiſſimæ cõmendavit Virgini, in Jaroslavienſi icone Thaumaturgæ, hujuſq; gratioſam effigiem, intimo admoveret pectori, facilè, fractas vires recipe-

ret; & efficaciùs priſtinæ redderetur ſanitati, quàm ſi balſama bibiſſet plenô hauſtu. Quantò jam, plures illi, experiri gratias conceſſum fuit, tantò intimiore excitabatur affectu in MARIAM. Et fuit, ut imminente feſtiva Ejus luce, ſive hæc privata eſſet, ſive ſolemnior, ſatis languidum, debilequé à natura corpus, ſeverâ maceraret inediâ, pluſqué ſolitò, devotæ contemplationi vacaret, & omnes pietatis induſtrias, in id unicè impenderet, ut ſe diſponeret ſpecialiùs ad colendam feſtiviùs ſacram MARIÆ lucem. Jam poſtquam hæc illuxit; mirum fuit! quâ ſe alacritate in cultus Viginis effundebat! Expiabat Sacramentaliter conſcientiam. Sacrô ſe reficiebat epulô, devotîs precibûs,

îîſq;

iîsq; longiùs productîs invocabat MARIAM, sequé totam pientissimis illius cultibus immolabat; ita ut quisquis illam tantùm Sanctissimæ Matri suæ devotam conspexerit, tacitîs suspiriîs in admirationem effusîs facilè istud repetere crederetur: o! devotã MARIÆ MARIANNAM! o! Palatinam singulare pietatis spectaculum!

Eò verò processit pietas illius in Parentem Sanctissimam, ut illi non minùs devotam, quàm liberalem se exhiberet. Ut enim in arce Vinnicensi (pagus habitatur conterminus Russiæ Metropoli) iconem intaminatæ Virginis, tenuiore locô, devotis expositam cultibus esse didicit, pati nequaquam potuit, ut Cælorum Regina, tam angusto conderetur in

In Virginem Betissimam Liberalitas Illmæ Palatinæ.

L con-

conclavi; neq; ampliori, illiq; publicæ exponeretur reverentiæ. Quæ igitur vota? quæ concipit desideria? Concipit sanctissima! vixqué concipit, jam exequitur: jam impensas effundit liberales, Basilicam à fundamentis erigit, murô solidô firmiorem reddit, arîs implet, beneficiîs accumulat, perficiendo magnificentiùs operi, proventus decernit, Matriqué purissimæ; quam intimis fovebat in præcordiis, dedicat, donat, devovet.

Amplior ejusdē liberalitas. Sed non hæc duntaxat Basilica, liberalitatem præsentat Palatinæ. Non desunt, jam aræ, jam hospitalia, jam asceteria, jam literatorum Musea, jam pupilli, jam miseri, jam omnes, jam singuli, qui munificiam illius manum depræ-

di-

dicant. Scilicet, non illa ad luxum impendit opes, non ad jocos, aut insolentem aulæ fastum, non ad mundum muliebrem, fortunarum utiq; voraginem, pretia erogavit. Aris hæc! aris impendit Palatina! impendit miserorum orbitati! reficiendæ paupertati contulit! devovit Cælo, & Cælitibus! Ut, quoniam ipsa à DEI nutibus pendebat tota, supellex etiam à Divorum penderet aris. Nunquam scilicet pulchriùs relucet liberalitas, quàm si se per Divorum præsentet imagines. Gratìs effundit opes, quamvìs illas in aulas Principes, aut purpurarum luxus, sive longos famulorum ordines, & quasquas, aureas licèt machinas, munifica impendat manus, si in Cælites parci-

orem ſe exhibeat. Fugit memoriam liberalitas ejuſmodi nubium inſtar, nihilqué poſteritati relinquit præter alta ſilentia. Porro illa æternos meretur faſtos munificentia, quæ ſe in Divorum effundit cultus. O! igitur æternâ dignam memoriâ liberalitatem Palatinæ! quæ ſe tam induſtriosè profuderat!

Munificentia in Eccleſias.

Ut enim omittam alienas à noſtris aras, liberalitate dotatas MARIANNÆ, quas ſui loquuntur faſti, & fama promulgat, perenniter loquax: Nullæ enim pæne Religioſæ numerantur Familiæ, nulli Conventus ſacri, nulla DEI ſervorum caſtra, in quæ, veluti radios in terras Titan, non diffuderit beneficia. Ardebant aræ, liberalitate Palatinæ, ſuccenſæ, quo-

quoties cujuscujus ordinis, Tutelaris illius, ſacra illuxit dies. Imò verò, extra aras etiam notabantur beneficia, in ſacras diſpoſita familias, quæ ſæpius ſub roſa habere voluit; quaſi vellet gratias impendere, & iſtas taceri, neq; illas pro modulo gratitudinis prædicari. Quarè mittimus iſtas, ut aliis linquamus ſpatia exponendæ gratitudinis, & cum hujus teſtimonio, fundendorum ſingultuum. At, quam in nos, noſtrûmqué commoda, liberalitatem impendit benevolè, illamnè in iſta, undiq; funeribûs circumducta ſcena omittamus? Præſtat, præſtat iſtam eloqui, & quas aræ, quas tecta, quas nos ipſi recepimus gratias, confiteri. Quæ enim, Illa, Leopolienſi Societatis JESU Colle-

 gio;

gio; quæ, loci ejuſdem Baſilicæ, non contulit beneficia? Eminet ara major, æqué ad oculum, nitorem, ac majeſtatem magnificè erecta, impensîs liberalibûs Palatinæ. Præſentat munificas Ejus gratias ipſa ſtructuræ excellentia; & opus ſplendidum profitetur liberalitatem impenſarum. Quid jã ſupellex ſacra? quid veſtiũ nitor? quid argenti pretia? quid reliqua? æq; ſpecioſa, ac magnifica? Palam hæc faciunt, facientq; liberalitatẽ Palatinæ, quoties ad aras facturi, magnificè veſtiti comparebunt Flamines. Declarabunt gratias, multô annorum ſpatiô, ardentes aræ, liberalitate ſuccenſæ MARIANNÆ, quibus non parciùs providit ignes, quàm ſuis Veſtales aris. Loquetur demũ poſteritati,

ritati, multa beneficiorum ſeries, vixiſſe Palatinam (ſi non meliùs Matrem dixero) loci hujus, Eccleſiæ, Familiæ ſacræ, Parentem liberaliſſimam. Sed iſtané duntaxat gratiarum Illius habebuntur teſtimonia? Tacebitnè favores, Craſnoſtavienſis Societatis JESU ſacra ædes? tacebitnè munificentiam loci ejuſdē Collegium? Tacebuntnè tot pæne gratiarū teſtes, quot ædes illas inhabitant Religioſi viri? Diripit equidē verba dolor! & triſtes lacrymæ, nihil, præter queruloſos deponunt gemitus! ſæpius ſe innovante lamentabilì ſuſpiriô: O! Matrem! o benignam Matrem! cur nobis invidæ eripuiſtis Parcæ! Parcendum tantiſper fuerat Parenti noſtræ! aut, ſi inevitabile eſt

mortis fulmen, differenda fuerat dolenda orbitas! In hac tamen ſingultuum turba, gratam eripiente facundiam, non poſſunt in arcano haberi beneficia. Ultro ſe illa porrigunt, palamq; confitentur, fuiſſe hìc Palatinam, in ſacram hanc ædem, Thaumaturgo ſacratam XAVERIO, Celſiſſimæ CRISTINÆ de LUBOMIRIIS POTOCKA, Caſtellani Cracovienſis, magniq; Exercituum Ducis conſortis dulciſſimæ, Parentis ſuæ, liberalibûs impensîs erectam: fuiſſe, inquam, Palatinā liberalem. Quid enim præſentant Aræ, jam magnificè dotatæ, jam ad venuſtatem illuſtres? quid ſacrarum ſplendor veſtium? quid aucta, & acu aurea, ſimul ad majeſtatem, ad decus ſimul, depicta periſtro-

ma-

mata? quid alia, ſplendore ac pretiô illuſtria decora? Quid adhuc curioſæ illius ſcientiæ, & Regnis, Provinciis, ſceptriſq; utiliſſimæ Matheſeos (quanquam iſtā transferri demum Leopolim voluit:) gratioſa fundatio? quid annuatim donaria? quid hæc ſunt? quid plura? nonnè grandia profuſæ liberalitatis teſtimonia? Quàm dulcem eheu! Matrem amiſimus! Enimverò, deceſſit Illa, quæ aluit? ergo deceſſit Mater! obiit, quæ veſtivit? ergo Mater obiit! erepta Illa, quæ dilexit? ergo (dolendū dictu!) erepta Mater! O! nobis injurioſa tempora! Nuper quippe incolumem nobis eripuit Palatinam, temporis inclementia, hodie è viventium numero delevit Parcarum ſeveritas!

 ritas!

ritas! Scilicet, nunquam satis una premit calamitas; turmatim veniunt infortunia, si præcedat unum; & primã sequitur altera, ruinam. huic jam repetitæ (cujus meminimus) calamitati, accedit illa, quòd, cùm plures alias effuderit in nos gratias Palatina, illas esse voluit in arcano; voluitq; profundere in nos beneficia, & illa [absit ingratè] taceri. O! liberalitatem ad mentem profectò Servatoris! Amant alii, sua dona prædicari, & cùm una manu benefecerint, manu alterâ volunt per orbẽ circumferri; voluntq; pendere à suo tubam latere, quam liberalî spiritu inflet fama, si vel obolum erogaverint. Cæterùm munificentia ejusmodi fastûs cujusdam, ac propriæ testis est excellentiæ: &

cum

cùm virtutis ſpeciem præferat, in turpe impingit nefas. Alio ſe pinxit miniô liberalitas pientiſſimæ MARIANNÆ. Non aliter Illa, ſuas voluit haberi gratias, niſi ſub oblivionis ſipario, edocta in ſchola Domini, malè tubâ cani, ſi gratiæ profundantur, malèq; ſiniſtrā ſcire, quæ beneficia dextra facit. Ergo cùm ad mentem beneficentiſſimæ nobis Palatinæ, multa mittimus, quæ poſteritati eſſent promulganda; iſtud lugubribus hiſce faſtis inſerimus, liberaliores fuiſſe Palatinæ gratias, quàm noſtram facundiam.

Sed quid immoramur iſtis [quamvis immorari non ingratè debuimus] cùm ſe plura turmatim offerunt beneficiorum compendia, quæ facilè munificentiā *Liberalitas Ejuſdem in alios.*

proloquūtur Palatinæ. Nemo ſcilicet fuit, ſive è numero Epheborū, ſive è grege pauperū, ſive ſubditorum cohorte, cui haurire gratias non licuerit. Dabant ſe in conſpectum Dominæ, Ephebi; promovebant negotia; ſtipendia impetrabant; & præter dulcia reſpōſa poſtulatis fiebat ſatìs: nulluſqué aut torvos vultus, aut dictū aſperius, aut repulſam paſſus, niſi, qui ad exemplar Dominæ, nollet ſtudere pietati, ac mores præferre integerrimos. Debebat ſcilicet flagitioſus quivis, à Palatinæ excludi aula, quæ pietatis conclave fuit. Quoties verò contigit, ut quiſpiam ex illo aulæ famulitio (fuerit ille de flore Epheborum, vel primîs inferior) è viventiū numero decéderet; aut fractîs

viri-

viribûs graviùs decumberet; offerebat impenſas liberales; ut illorū quidem parentaretur obitui; iſtis non deeſſent auxilia, priſtinæ illos ſanitati redditura. Nec ſatìs iſta: gregatim veniebant miſeri, ſive hos ſitis coqueret, ſive fames affligeret, ſive paupertas premeret, ſive nuditas, & malum omne caſtigaret: & alios quidem benignè paſcebat; aliorum miſeriam, erogatâ liberaliter ſtipe ſublevabat; aliorum lacero amictui ſuccurrebat; ita, ut nullus vacuîs abiret manibûs, nulluſqué non Matrē pauperum prædicaret. Ut verò, verecunda quandoqué paupertas eſſe ſolet. Non deerant tales, qui cùm miſerâ effligerentur egeſtate, ſtipem mendicare erubeſcerent. Non deerant & illi, quos

mutuum æs impetrare còégit penuria, quamvìs refundendo illi non ſatìs pares eſſent. Ergo Palatina, illis quidem, ne occultæ paupertati ruborem incuteret, arcanâ liberalitate ſuccurrebat; iſtos, ab obligatione refundendi pretia, erogato ære proprio, eximebat. Nec aliter eſſe voluit Palatina, niſi magnifica, & liberalis.

In alios benefica & mitis, in ſe aſpera.

Sed cùm ita clemens, ac benefica eſſet in alios. Mirum fuit! quantùm in ſe, ſuoſqué artus, inter mille Palatinæ domûs commoda enutritos, peracerbè ſævîit. Equidem fuit illud, ut in nobiliſſimorum corona Procerũ (quoniam aula Palatinæ Magnatum fuit hoſpitale) menſæ accumberet. Fuit, ut florem Hoſpitis nobiliſſimi, liberaliſſimè paſceret; &

qui-

quibusquibûs poterat mensarum lautitiîs, quales generosus prætendebat animus, recrearet. Ipsa interea solo se pascebat, aut sancto (quod mensas condiebat) alloquiô, aut strictissimâ abstinentiâ. Nullæq; Illi svaviùs sapuere mensæ dapsiles, quàm longâ conditæ inediâ. Merum aliis propinabat, sibi sitim; eduliîs pascebat alios, se jejuniô; benigna in alios, in se severior. Cùm enim exsiccum, né dicam, exsangue corpus redderet maceratione strictissimâ, ferreas inediæ addebat catenas, aculeatîs astringebat lumbos vinculîs; utq; spiritus libertate poti-retur, captivabat corpus. Ista verò, exigua Illi videbantur, nisi pro mensura indolis generosæ, liberaliorem se in Cælites, atq; eo

ipſo ſeveriorem in ſe exhiberet. Quare induſtrias etiam adhibebat, quò ſpecialiùs delicatos artus affligeret. Scilicet ſigillarem liquabat ceram (quàm ſingulare inventum hoc!) & fervente ſuccô, guttatim in corpus deciduô, torquebat artus; ceu vellet, ſignaculum fieri ſuper cor Dilecti; velletq; hîs ſignare ſtemmatibûs pignus prænobile, quod Domino immolabat. Quoties jam, ad ſacram ſe conferebat ædem, profuſiùs ſervitura devoto otio. Boni Superi! quæ ſe inibi pientiſſimæ contemplationi adjungebat corporis afflictatio! Scilicet non Illa pro majeſtate Palatina; aut affabrè erecta, aut ſericô ſpecioſa implebat ſedilia; non commoditati, quæ magno ſanguini offerebat

ſe

ſe facilis, ſerviebat; non molles culcitras, aut ſtratum commodius, pedibus ſubmittebat. Nihil horum Palatina. Supplebat marmor culcitram, quoties Divina majeſtas de genu fuerat adoranda. Quamvìs verò præ frigoris vehementia rigeret ſaxum; graviùſquè, proſtratam longiùs in oratione, adureret; non abripiebat ſancta cum Cælo colloquia, tantòq; fervētiùs divinîs accēdebatur ignibûs, quantò artus debiles frigebant vehementiùs. Diſſvadebat ſeveritatem iſtam delicatum corpus; porrigebat commoditatem, virium debilitas; reverentia aliorum, vel juſta humanitas primos offerebat accubitus; At Palatina iſtîs ferme pulchra hæc abigebat commoda. Itane verò e-

rectâ fronte Divina majeſtas adorabitur? cui eminentias inclinant ſuas, cæleſtes ſpiritus? Itane non flexô genu, ante Dei ſolia veniemus? qui fractô poplite terrarum majeſtates adoramus? Ergo altiore reverentiâ Procerum æſtimamus curules, quàm Divorum aras? O! rerum inverſas vices! Serpat vermis ante thronum Domini: atterat corpus, ſaxum iſtud; quod paulò pòſt, emortuas recondet exuvias. Algeant artus, modò Divinus ſub pectore flagret ignis. Sic ſecum pientiſſima MARIANNA! neq; vinci potuit, ut non flexô poplite Cælites adoraret; aut commoditati indulgeret, ſacro intenta otio. Ergo factum: ut præ illa, quà longâ genuflexionum aſſvetudine, quà a-

ſperio-

ſperioris auræ vehementiâ, quà marmoris duritie, quà prolixitate orationis, pedum nervos dolor contraxerit; ita, ut horum, planè uſum amiſerit. Quid verò Illa in calamitate tam acerba? Certè injurioſam corpori viribuſq; abegit pietatem? aut querelîs implebat aulam? milleq; commodîs amiſſam redimebat valetudinem? Imò verò, gaudebat ſe partem virium amiſiſſe Divinis in cultibus, quibus ſe totam dedit, dicavit, immolavit.

Huic jam ſtrictiſſimæ ſeveritati, acceſſit tandem plaga immanior! Acceſſit ſcilicet lethale malum; morbus gravior affixit lecto, ademit dolenter vires. Nempe longô ſe agmine calamitates inſequntur, donec ad ultimam in- Obitus Illmæ Palatinæ, quàm pientiſſimus

 cli-

clinent ruinā. Quis jam hic MARIANNÆ ſenſus? poſtquā graviore in momenta ureretur malô afflictum corpus, & ſpe vitæ ereptâ, mortalem urnam promitteret? Augebant dolorem circumſtantes lectum mæſti Proceres! Acuebat vulnus in lacrymas difffluens colligatus ſanguis! Suſpirans aula intendebat lethale malum! At PALATINA, calamitatis illius patientiſſima, extremîs jam jam afflicta doloribûs, ſolatia quædam præferebat vultu, quòd ſe ad Patriam Dominus evocaret, & ruptîs cardinibûs mortalis hujuſcé carceris, ad æternam invitaret libertatem. Ergo premente mortalî plagâ, inter dulciſſima Servatoris ſui baſia, non tam amiſit, quàm in meliorem muta-

vit

vit vitam; & quò ſe piiſsimâ ferebant vota, amoris Divini inſtructa pennîs evolavit. Per fidē! quàm dolentes protunc undiq; gemitus erupere! Vocitabant alii corruptîs ſuſpiriô clamoribûs; ergo obiit Palatina? Palatina! grande lumen Domûs Illuſtriſſimæ! gloria Colligati Sanguinis, Affinium inſigne decus. O! miſerandam orbitatem, calamitate tantâ cruentatam! Alii querulosîs planctibûs repetebant ſæpius: ergo MARIANNA obiit? MARIANNA! urbis hujus fax clariſſima; Eccleſiarum benefica Parens; virtutum idea; egenorum Mater, amor omnium, Ergo hæc obiit? cui perenniter vivendum erat! ut omnibus bene eſſet. O! injurioſam mortalitati Lacheſim! Inge-

Q miſce-

miſcebant alii! & quaſi æmulîs deplorabant lacrymîs Palatinam! ſingultiebant plures! ſuſpirabant omnes! & nihil per urbis plateas, nihil per conventicula, nihil ubiqué audiri poterat, niſi dolentes querelæ de obitu Palatinæ! Non exiguas ſcilicet meretur lacrymas magnorum obitus; nec ſatìs unius planctu deplorantur, qui vixerunt ad vota omnium. Quid jam nos in hac plangentium animorum ſcena? Doluimus amiſſam Matrem! imò eouſqué dolebimus, quouſq; nos ſuperſtites, ſervabunt Cæli. Revocabunt nobis faſti beneficia, & ſuſpiria in animis ſuſcitabunt. Legemus gratias, liberaliter in nos profuſas; & pro his inter devotas ad Superos preces, gratas fun-

de-

demus lacrymas! Querulabimur ereptam nobis Palatinam ita vocali gemitu ut hunc, audire valeat longa posteritas! Sed urgent jam dicentem singultus, & facundiā planè eripiunt, nec plura de Palatina sinunt proloqui; quamvìs plura dictet gratitudo. Ergo obsequimur dolori, & lacrymîs potius indulgemus, quàm verbis; utqué his liberiùs serviamus, nostris humeris, nostram tumulo Matrem inferimus. Sed heu! nos! Sepelimus Illam quā perennare voluimus! Sepelimus tamen (cùm istud, vitâ functis gratum sit obsequium) & cui ad ultimum vitæ halitum viventi adstitimus, mortales quoqué exuvias sub lapidem deferimus

sepul-

ſepulchralem. Illud verò in triſtiſſimo hoc mortis theatro habemus ſolatium, quòd ita Palatinam tumulo inferamus;

UT NOSTRAM GRATO SERVEMUS PECTORE MATREM.